





10  
DE INCENDIO  
MERSEBURGI  
Dominica Reminiscere,  
quæ erat 25. Feb. circiter  
horam 8. vespertinam  
An. 89. exorto, &c.

*Phalacium.*

*Scriptum à*

Ioachimo Wichmanno,

*Perlenbergensi, LL. Studioſo.*

Cuius ipsius ædes & bona vnà tunc combuſta ſunt.



DRESDÆ.

*Typis Gimelis Montani deſcriptum,*

*12. die Menſis Aprilis.*

1589.

# TYPOGRAPHVS

Lectori.

**E**Xemplaria, quisq; , qui priora  
A me vendita, forte comparauit,  
Nolit, quaeso, putare, quod Magistris  
Quae doctis, nota conuenit, sciente  
Hoc, autore, vel illud appetente  
Hic appressa sit: inscio sed ipso  
Commisit meus illud error, ergo  
Non est autor hic, arrogans habendus  
Non fictum cupit is sibi colorem. &c.



DE INCENDIO MERSEBURGICO.

Phalacium.

**D**A dignas tibi gratias agamus,  
O Aeterne Deus, pater benigne,  
Verbis, mentibus, actibusq; cunctis,  
Hac in terribili, simulq; plena  
Consolamine, visitatione:  
Qua dum tu varias iniquitates  
Ob nostras, merita coactus ira,  
Penas sumere de tuis ministris,  
Nobis, ab, nimis impijs malisq;  
Sic pœnas bonitate temperastj,  
Excellentior vt benignitatis,  
Vis prospecta tuæ, sit hac in ira,  
Tanto namq; licet Sathan furore,  
Tunc inuaserat hunc gregem misellum,  
Atq; occasio tanta, per fauillas,  
Per ventos rapidosq; ab occidente,  
Apparebat ei relicta, totam  
Vt combureret igne ciuitatem:  
Combussisset, & in breui: potenti  
Fregisses nisi tu benignitate  
Illius rabiem furentem in igne.

Coniuratus, enim vel excitatus,  
In nos, suppliciumq; grande nostrum  
Acer circius, aut ei propinquus,  
Horrendo sonitu volans ad ortum,  
Vellus, stramina, scandalasq; fractas,

Aj Fix

*Ex ardentibus ædibus, fauillis*  
*Plenas arripiebat, & uehebat,*  
*Priuatæ simul, & super sacratas*  
*Ædes, alta superq; templa, sint ut*  
*Flammis valde voracibus præhensæ,*  
*Non lignis modo, debiliq; limo,*  
*Sed duris quoq; tegulis, & aptis*  
*Quadræ edificata, nec propinqua*  
*Saltem, sed quoq; passibus vel vniis*  
*Sexcentis vel & amplius remota.*  
*Sicut sicq; in nihilum redacta prorsus,*  
*Bis ter octo domus, minus duabus,*  
*Vt ne carbo quidem, aut cinis supersit.*  
*Ardor tam vehemens fuitq; in igne*  
*Hoc, credas mihi, nullus vt fenestras,*  
*Suprema positas domo ( fuisse,*  
*Regalis qua aliquando fertur aula*  
*Hic Henricus vbi imperabat Auceps,*  
*Combustaq; iacet domo remota*  
*Vicini cubitis ferè ter octo,)*  
*Quæ è ligno tabulis teguntur intra,*  
*Tuto tangere posset, aut adire.*  
*Instar circij enim fauonij vis,*  
*Et dirus Zephyrus, furenter ignis*  
*Flammæ ingeminabat, excitabatq;*  
*Inspirando, locos ut ad perustos*  
*Posset nemo venire. visitauit*

*Ergo*

Ergo nemo locum ( mei penates  
Quo non dum steterant , adhuc per annos ,  
Ter sex ) quatuor integras per horas .  
Solutus ast ego , cum meo relictus  
Gnato , dum poteram , dolens anhelansq;  
( Incassum licet , hej dolor ) studebam  
Depulisse mea domo recenti  
Flammas damnificas , nimisq; edaces ,  
Offundens lupuli , hordei q; succum ,  
Coctus qui fuerat dies mihi ante ,  
Paucos , tunc neq; dolis receptus ,  
Conseruare studens domum , domiq;  
Caram , parua licet quæ erat supellex  
Totas nemine sed duas & vnam  
Post horas veniente , qui iuuaret :  
Caras deseruisse cogor ædes .  
Ventus circio enim propinquus , illi  
Et plane similis ferocitate ,  
Compellens ab vtraq; parte flammam  
Accessum prohibebat has ad oras  
Ergo continuo labore fessus ,  
Vrgentissima , ineuitabiliq;  
Compulsus miser , à necessitate ,  
Caram deserui domum , domoq;  
Carum quicquid erat diu paratum ,  
Aurorum monumenta plurimorum ,  
Priuatis manibusq; scripta multa ,

A iij

Quæ

Quæ vita ferè erant mihi priora  
Tali semper & in loco reposta,  
Quo, nulla ratione, credidisses,  
Vllo corripì, ab igne posse quicquam.

Externum latus omne namq; in æde,  
Ex saxis mihi, tegulisq; coactum  
Incrustatio calce, terra, arena,  
Pauimento erat applicata vtriq;  
Persuasisset vt haud prius mihi vllus  
Hic quicquam potuisse carpi ab igne.

Sed fauonius acer vsq; & vsq;  
Plures vndiq; convehens fauillas,  
Stramen, (quod fuit obditum supremæ  
Ædis parte foramini, volueres,  
Vt non ingrederentur, & nocerent  
Annonæ exiguæ,) deinde vestes,  
Ex lino, tegumenta (nuper unda  
Lotas expositasq; vento, & auræ,  
Sub cacumine) tegulis ferendis,  
Subiectasq; trabes perussit igne,  
Combustis trabibus, citò irruerunt,  
Domus cuncta cacumina atq; tecta,  
Introrsum hæcq; graui cadendo mole  
Quassarunt tabulata, calce strata.  
Incrustatio profuit nec vlla  
Quicquam, sed periere cuncta ab igni.

Nam



**N** Am ventus velut angulum in coactura  
Collidebat ad aedis & culinae,  
(Diuina benedictione nuper  
Ambas culmine quas ego altiores,  
Vicinis fabricaueram) fenestras  
Et portam, latere atq; parte ab omni  
Flammas: hinc adeo citò est adauctus  
Ardor, corripentur vt mihi igne  
Non, vestes, modo, tunc meum quae obibant  
Corpus, ast etiam recluderetur  
Spirando, qua animans fouetur, aura,  
Nemo, qua sine, &, est diu superstes.

    Persuadens igitur domo vt recedam  
Nec secum excrutier labore inani,  
Me, exponam nec, & amplius periculo  
Vitae, filius vnicus, qui & ipse,  
Defessus nimio labore, & aestu,  
Me secum rapiebat, & trahabat,  
Ex domo properans sinistra & arcem  
Versus, sed prohibente vento & igne  
Arrepta, medios, via, per ignes,  
Ardentem modò, perq; ciuitatis  
Portam dextra agilis trahabat vrbe.

    Vix porta miserabilis, sed vrbis  
Eductus, subitò nouo tremore,  
Percellor, quòd & igne & fauilla,  
Iam pontem irruerant super fluenta

A iij      Sala

*Sala qui est fabricatus ante multos  
Annos, munificentiaq; nuper  
Augusti celeberrimi refectus,  
(Augusti Ducis incliti, p; q;  
Herois, dominatus est qui aruis  
Nostris, Saxoniciq; Misnicisq;  
Et multis alijs, eis propinquis.*

*Vera Relligione, iure, pace.  
Quem nuper nisi mors tulisset atra  
A multis vbiq; furoribus,  
Iam terris, nisi fallor, exularent.*

*Cuius Iura, Toparchiasq; cunctas  
Ut dia tenet ordinatione  
Gnatus, Sanguinis, & domus ppago,  
Illustrissimus ille Christianus,  
Heros egregius, toparcha noster,  
Sic haeres quoq; comprobat esse,  
Virtutum patris, harum & executor.*

*Is vestigia dum paterna lustrat,  
Insertam Chypeo suoq; rutam,  
Coniunctos crucis in modum duosq;  
Enses: & studio laborat omni  
Ut Gentes sibi subditas gubernet  
Vera Relligione, jure, pace,  
Ut sint incolumes veneno ab isto,  
Christi sanguine quod nocet redemptis,  
Ut magnis, minimisq; ius sit vnum.*

*Mauoro*

*Mauortis neq̄ terreanter armis.)*

*Hunc igne scire tunc videndo pontem.  
Angebar nimio timore, cunctæ,  
Ut non igne suburbij perirent  
Ædes: namq̄ adeò fauillæ vbiq̄  
Instar grandinis, aut niuis volabant,  
Carpebantq̄ locos vbiq̄ plures:  
Ut flammæ salices, pyriq̄ stantes  
Hortis, conciperent, & interirent.*

*Nil hyperbolice locutionis,  
Nil fictiq̄ refert, mea hîc Ithalia.  
Talem, tractus enim ferebat hicce  
Totus, tunc faciem, velut fauillæ  
Ardentes, cineresq̄ mox futurus.*

*Ast clementia summa patris, illa,  
Æterni, miserationeq̄ fregit,  
Immanis Sathanæ, potentis igne,  
Et ventis rapidis, furorem, & iram.  
Inmensæ miserationis illud  
Est solius enim, superstites quod  
Nostrum sint aliqui: nec vt Gomorrha  
Cum fæda Sodoma, male & Sebcim  
Simus sulphureos reducti in ignes.*

*Clementissime tu pater, fuisti,  
Ut semper, meritissima sub ira*

*A. V.*

*Hæc*

Hac, pœnaq̄ memor benignitatis  
Immense, & miserationis eius  
Est, omni noua, quæ die, caretq̄  
Omni fine: quia haud tibi est voluptas  
Quenquam supplicijs grauare dignis,  
Exercere decentibusue poenis.  
Delectat quoq̄ te, nec vlla, iniqui  
Mors, aut perditio, sed vt recedens,  
Pœnitendo ab iniquitate praua,  
Viuat perpetua beatitate.

Des quæso patientia decenti,  
Poenas has meritas, feramus omnes,  
Virgam suscipiamus osculando,  
Hanc, quæ significatio fauoris  
In nos, & minime, tui furoris,  
Est signum. Quia quantò amor parentis,  
Innatos: vehementior probatur  
Castigatio tantò, & est in illos  
Semper acrior, & magis seuera.

Des semper, pater, hoc queam, tua de  
Persuadere mihi benignitate.  
Tu certè dabis & mihi vicissim,  
Iuxta quem tua fert modum voluntas,  
Aedes, quæ foueant tuum ninistrum,  
Me, vita, quo ad hac voles potiri,  
Fac saltem maneam tibi fidelis,  
Crescens, cognitione veritatis,

Te

Te, natumq; tuum, redemptionis  
Autorem, melius subinde discam.  
Te solum, timeam superq; cuncta.  
Te solum super omne diligamq;  
In te spes mea conquiescat vno.

Et sicut Zephyro, furenti, & igni  
Insueta vehementia voraci  
Fines, conueniens repagulumq;  
Clemens præstituisti, eos nec ultra  
Es passus rapidis vagare flammis:  
Nec templis aliquid nocere nostris.  
Sic clemens cohibe omnium furorem,  
Verbum, qui reprobi, tuum, scientes  
Oppugnant, cohibeq; Martis arma.  
Des Ecclesiolæ, tuæ columbæ,  
Pertentatæ odijs potentiorum,  
Perpassaq; diu graues dolores,  
Ipsis non modò ab hostibus remotis,  
Sed falsis quoq; fratribus propinquis:  
Quorum mens reprobo furore cæca est  
Atq; obsessa, studetq; vanitati:  
Quamuis sint aliud prius professi,  
Diuersum doceat Deiq; verbum.  
Tu nos sanctificare veritate,  
Iesu Christe velis tua, docetur  
Quæ verbo, patris os, quod est locutum,  
Vllo ne capiamur à furore.  
A M E N.



18. Nov 1996

Nh 1217

ULB Halle 3  
001 600 079




TA → OL










B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



10

# CENDIO EBV RGI

Reminiscere,  
Feb. circiter  
vespertinam  
korto, &c.

*alecium.*  
*iptum à*  
Wichmanno,  
*si, LL. Studiofo.*  
ona vnà tunc combusta sunt.



S D Æ.  
*Montani descriptum,*  
*mensis Aprilis.*  
1589.

